

runt Christiani offerre se ad mortem requisiti a tyrannis, uti integra illa civitas, una ex Asiaticis, exercente in Christianos quæstionem Aurelio Antonino proconsule. Qua re attonitus et perterritus Aurelius paucis tantum damnatis exclamat: *O miseri, si perire vultis, præcipitia et restes habetis*, Baron. ann. 123. Hæc imitemur, auditores, et majora patrabimus miracula, quam si mortuos excitemus, certe nobis utiliora.

§ XVII. — GESTA IN DOMO HERODIS.

I. Pilatus mittit Jesum ad Herodem. — II. Herodes eo viso gaudet, et signum non edit Jesus. — III. Interrogat eum multis, sed nihil responsi fert. — IV. Constanter accusant eum principes. — V. Spernit illum Herodes. — VI. Illudit indutum veste alba. — VII. Remittit eum ad Pilatum. — VIII. Fiunt amici Herodes et Pilatus.

THEMA.

Herodes, viso Jesu, gavisus est valde.
Luc. XXIII.

Quis non viso Jesu magnopere gauderet? *Abraham exultavit, ut videret diem ejus, vidit et gavisus est.* Desideravit eum videre senex ille Simeon, vidit et gavisus est. Desideravit eum videre quis esset, Zacchæus in sycomoro, vidit et salutem accepit. Desiderarunt eum videre gentiles, Joann. XI. viderunt et vocem Dei Patris super eum demissam audierunt: *Ego te clarificavi, et iterum clarificabo.* Denique vidit et Herodes: vidit, inquam, et gavisus est; sed heu quam vane? Quam inaniter? Vultis scire? Audite.

I. *Pilatus audiens Galilæam, interrogavit, si homo Galilæus esset. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus.* Primo, ut iniquum iudicium dechnaret, et viam aperiret ad liberandum Christum. Secundo, ut ne in Herodis jurisdictionem involaret, sed salvam ejus jus relinqueret. Hunc in modum lites periculosas et male fundatas a se quisque ablegare debet, deinde in alienam messem falcem non mittere. Sed cur, o Salvator, non reclamationes contra hanc missionem? Væ tibi apud Herodem! Nosti enim quid fecerit amicoj tuo Baptistæ! Nihilo tibi mitiorem potes expectare. At Christus nostri amore omnia vult devorare, nullum fugit iudicem, sed æquo animo fert jactari se instar pilæ de lusore ad lusorem: ut et nos ferremus, eum nobiscum mundus vel magistratus simili modo ludit.

II. *Herodes autem viso Jesu gavisus est valde. Beatum te Herodes, si recte ac solide gauderes,*

aspectus enim Christi, si intus aspiciatur, fons omnis boni est: et si externe etiam bene consideretur, fons omnis solatii. Hujus rei gratia, quotquot afflicti aut tristes erant, ad se mutuo dicebant: *Eamus ad Filium Mariæ, ut tantisper relevemur*, ut revelatum S. Birgittæ. Sed obtusa mens Herodis nihil horum animadvertit, ideoque gaudere nesciit. Solum ergo gavisus est, quod videret eum ligatum et captum, quem metuebat et oderat. Sic imperator Ludovicus IV. victo et adducto ad se Friderico Austriaco, apud Mildorsium, dixit: *Libenter te videmus, avuncule.* Ex sola curiositate Christum videre optavit, et quidem *ex multo tempore, eo quod multa audierat de illo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Ergo histrionicam expectabat vel magicas præstigias, quales olim magi coram Pharaone exercebant. Sed adultero signum quærenti signum non dedit Dominus, primo, quia ipse prius docuerat *margaritas non mittendas ante porcos, ne forte pedibus eas conculcent*, quod sane fecisset procius iste, qui in horto paradisi constitutus ante Christum non tam flores et fructus pretiosos, quam sordes in eo quæsit et nugas. Si fructum quæsiisset, dudum ad se vocare vel adire Christum poterat. Sed vel fastus eum retinuit, vel scabiosum caput pectinem metuebat: ne videlicet audiret, quod a Joanne audiit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Nihil animæ suæ proficuum cupiebat, quemadmodum alii multi cum audiunt conciones. Non ergo mirum, si tales e verbo Dei nullum capiunt fructum. Secundo, quia fugiebat Dominus omnem ostentationem, ideoque nullum fecit miraculum, nisi cum Dei gloria vel hominum salus id exigebat. Frustra hic fecisset, quia cupiebat Herodes pascere oculos, non animam; nullum ergo signum fecit, *magis eligens a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari*, ait S. Gregor. I. X. moral. c. XVII.

III. *Interrogat enim multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat.* Primo, quia vel inania vel ludicra erant, quæ interrogabatur. Scriptum est: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*, Prov. XXVI. Secundo, quia in ventum verba fecisset Christus; siquidem auditores partim erant aulici, partim hostes, partim ipse rex. Primi in via positi erant, ubi conculcatum foret semen et a demonibus devoratum. Secundi cor petrosorum habebant, odio induratum. Tertius cor spinosum, voluptatibus et divitiis oblitum. Quid mirum si non jaciatur semen suum, ubi nulla terra bona est? Tertio, pulchre meditantur aliqui ideo non respondisse, quia Herodes abstulerat ejus vocem, Joannem, qui dicebat: *Ege vox clamantis.*

IV. *Stabant principes sacerdotum, et scribæ constanter accusantes eum.* Metuebant enim canes isti rabidi, ne sibi præda elaboreretur, si in gratiam Herodis aliquid dicere vel facere vellet, ideoque ab eo dimitteretur. Ob id veluti venator res feras undique accusationibus agitabant et circumdabant latratibus. Nimirum implere voluere mensuram peccatorum suorum et in peccatis suis mori. Traditi enim erant in sensum reprobum, et in maledictionem suam: *Qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc*, Apoc. ult. quia sic voluerunt. Sed quemadmodum ipsi Christum constanter accusarunt, ita postea Titus acerrima obsidione constanter eos pressit; nec poterant illi canem hunc sibi oblatrantem ulla ratione depellere a suis mœnibus. Et quemadmodum illi omnem viam intercluserunt Christo, ne vel ab Herode tamquam fatuus, vel a Pilato tamquam innocens dimissus elaboreretur ex eorum manibus; ita illi a Tito muro sunt circumdati, ne elabi possent, uti Dominus prædixit eis: *Circumdabunt te, etc.* Porro dum illi constanter accusant Christum, interim Christum constanter tacet. Sat superque respondebat illis Christi innocentia et vita laudatissima, omni notissima, ubique celebratissima. Quid opus erat verbis, cum res ipsa loqueretur et innocentem excusaret, imo commendaret? Ad hæc docere voluit calumniatorum pertinaciam patientia vincendam esse. Unde monet apostolus: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malo*, Rom. XII.

V. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo.* Quia enim contemni se a Christo putabat, quod responsum non obtineret; ideoque pari reddendum, ipsumque vicissim spernendum censuit; hoc ipso tamen vilem et abjectum animum suum ostendit, seque ridendum exposuit, dum ex animi impotentia scurram induit rex et una secum insanire facit curiam suam. Sed *væ tibi qui spernis Herodes: nonne et ipse sperneris*, cum scilicet in exilium relegaberis a Caio imperatore? Forsan etiam ideo sprevit Christum, ut hoc acutissimo illusionis telo eliceret ab eo, quod prius verbis non poterat. Sed Christi patientis murus est inconcussus et abeneus, omnia tela in eo hebetantur, et in jacentes resiliunt.

VI. *Illudit indutum veste alba.* Primo, voluit hac veste regiam Christi dignitatem tamquam stultam et inanem explodere. Vestis enim alba nobilium erat ut colligitur ex Jacob. ep. II. et apud Romanos candidatorum. Ergo quia Christus Herodi noluit exhibere vana et ridenda, vel ut vana ab eo ridetur: ita mundo stultus est, qui eum eo non vult stultescere. Secundo, nesciens et

præter mentem servit causæ Christi, dum albam ei induit, quæ typus est innocentiae et candoris. Ad hæc erat Christus vere candidatus regni sui, dum pateretur. Per passionem enim pervenitur ad regnum. Hinc baptizati vestiuntur albitum in signum innocentiae, tum ut norint se Christi imitatores et candidatos esse regni coelestis, qui videlicet per crucem pervenire velint ad gloriam. Unde Eccl. IX. monemur: *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Denique hic restituta est nobis in Christo, vestis illa candida, quam perdidimus in paradiso. Nemo ergo erubescat animo, si rideatur et illudatur a mundo velut stultus: sed gaudeat potius in hoc nomine. Si Dominus noster personam fatui in hoc theatro egit, quidni et servus agat?

VII. *Remisit eum ad Pilatum.* Primo, quia stultus et cæcus Herodes nescivit quem coram se haberet; ideo sine fructu vidit et sine fructu mittenti remisit, quasi ingratum munus et inutile, quomodo rex Hira contempsit et sibi habere jussit (Josepho teste) viginti quinque Galilææ civitates a Salomone ei oblatas, quas vocavit terram *Chabul* per contemptum (III. Reg. IX.) id est, luteam in ea latentem nescit. Quam verum illud Domini: *Abcondisti hæc a prudentibus et sapientibus, et revelasti ea parvulis?* Quanto enim fructu vidit Christum parvulus Zacchæus? Si tam acutum Herodes vidisset, dixisset utique Christo: *Non dimittam nisi benedixeris mihi.* Secundo remisit, quia cum absolvere nollet et condemnare non posset, voluit sanguinem Christi Pilato propinare bibendum, quasi hac ratione ipse immunis ab eo foret; sicut Saul olim reputabat immunem se futurum a sanguine Davidis, si non ipse eum occideret, sed Philisthæis occidendum traderet, I. Reg. XVIII. Hinc non injuria vocatus est a Domino vulpes. Sed non potes te, o vulpes, fraude hac salvare: et tu reus es sanguinis Christi.

VIII. *Facti sunt amici Herodes et Pilatus, nam antea inimici erant ad invicem.* Factum hoc primo, quia Pilatus honorem detulit Herodi, consulendo ejus juribus. Sic beneficia devinciunt et conciliant inimicos. Sic Jacob mittens fratri munera, iram ejus fregit sibi eum reconciliavit. Cæterum prava est illa concordia, quæ fit persequendo Christum; qualis est hæreticorum imprimis persequentium Ecclesiam. Secundo, ut propheticè monstraret Christum *lapidem angularem esse, qui facturis esset utraque unum*, id est, duos illos parietes Judæismum et gentilismum conjuncturus, quomodo nunc Pilatum et Herodem amicitiae federe copulavit. Quod si ethnicus et Judæus in die passionis Christi redeunt

in gratiam; quis nostrum Christianus audeat eo tempore virus inimicitiae retinere in suo peccatore contra fratrem suum? Itaque nunc si unquam alias tempus est amplexandi inimicum. Tertio, quia communiter fit ut coeant in unum etiam inimici, dum de Christo ejusque Ecclesia persequenda tractatur. Sic corvus et vulpes (alioquin inimici cum alter alteri praedam eripiat) faciunt amicitiam, quando pugnandum est contra astelon, parvam illam avem, quae in spinis degit, ut scribit Arist. l. VIII. de anim. Vulpes Herodes, l. XIII. corvus ater Pilatus gentilis, astelon Christus Dominus spinis coronatus, sub quibus nos auditores, quaeramus nobis nidulum.

§ XVIII. — COLLATIO CHRISTI CUM BARABBA.

I. Pilatus affatur Judaeos. — II. Vincit unus dimittendus. — III. Vincit insignis Barabbas in sortem electus. — IV. Ait Pilatus: *Quem vultis vobis dimitti?* — V. Mittit ad Pilatum uxorem. — VI. Persuadent peti Barabbam. — VII. Turba petit Barabbam. — VIII. Ait Pilatus: *Quid igitur faciam de Jesu?*

THEMA.

Quem vultis, dimittam vobis? Barabbam, an Jesum?
Matth. XXVII.

Lev. XVI. praecipit Deus, ut semel in anno expiaretur a peccatis universus populus, quando summus pontifex introibat in sancta sanctorum non sine sanguine victimae immolatae. Caeterum pro expiatione peccatorum totius populi voluit Deus ut duo hirci offerentur et statuerentur coram Domino in ostio tabernaculi; deinde ut summus sacerdos mittens sortem super utrumque, unam Domino, scilicet in sacrificium; alteram capro emissario, qui scilicet vivus dimitteretur; cujus exisset sors Domino, offerret illum pro peccato; cujus autem in caprum emissarium, vivum eum emitteret in solitudinem. Typus hic fuit humanae redemptionis, in qua Christus pontifex noster per proprium sanguinem introivit semel in sancta sanctorum, ad Heb. IX. caelum reseraturus. Ibi cum expiandum esset a peccatis genus humanum sanguine, quo statuebantur hirci; unus Christus, alter Barabbas. Itane, inquis, Christum hirco comparabimus? Ita omnino Orig. Beda eo loco et Hieron. (vel quisquis est auctor) in c. XV. Marci: nec male, quia Christus cum esset agnus, hirci personam assumpsit, peccatoris, inquam, villosi et foetentis. Missa est igitur sors, ut alter occideretur pro peccatis omnium, alter vero viveret et libertate donaretur. Et cecidit

sors super Christum, ut fieret hircus pro peccato; Barabbas vero viveret, velut hircus emissarius, qui humanum genus representabat.

I. *Pilatus convocatis principibus sacerdotum et magistratibus et plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, et ecce coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes, nam remisit vos ad illum; et ecce nihil dignum morte actum est ei, emendatum ergo illum dimittam.* Quid hoc? Prudentemve audio, an stultum? Aequum, an iniquum? Prudentem, quia convocat magistratum et plebem, ut vel ex tanto numero inveniatur, qui innocentiae Christi suffragetur: stultum, quia ex testata Christi innocentia ita concludit: *Emendatum ergo illum dimittam.* q. d. innocens est, ergo illum corripiam. Aequum, quia insontem querit dimittere quem videbat ab Herode remissum impunem, et sciebat ex invidia traditum. Iniquum, quia vult eum castigare eum debuisset calumniatores. Hinc ergo jam incipit claudicare justitia Pilati, cum homines offendere magis quam Deum et justitiam timuit. Adeo nulla solida virtus apud gentiles fuit, quae si gravis tentatio incidisset, non corrueret. Habuit Pilatus gladium, sed non habuit animum ad eum evaginandum. Recte igitur monuit Ecclesiast. c. VII. *Noli quaerere fieri judae, nisi valeas virtute irumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis.*

Vide etiam hic prudentiam humanam, quam eludatur a divina. Satagebant Judaei tradere Christum ad plura tribunalia, ut plurimum suffragio mortis reus fieret: sed contrarium evenit; tanto enim clarius innocentia Christi patefacta est.

II. *Neesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum, quem voluissent vincitum.* Orta est ea consuetudo de communi sententia in honorem festi paschalis, quod a Deo institutum ob beneficium liberationis de Aegyptiaca servitute et percutiente angelo. Allegorice praefigurabat humanum genus a servitute diabolica per mortem et esum agni paschalis, qui est Christus in paschate occisus, liberatum iri. Quod etiam fit annuatim, cum in s. paschali tempore innumerarum animarum a daemonum laqueis expediuntur et Christo reconciliantur. Tropologicae vero donet eadem consuetudo, ut similiter et nos ad exemplum ipsius Dei dimittamus proximos nostros, si quid nobis debeant; sive debita, cum solvendo non sint; sive culpas in nos admissas; festis praesertim diebus, quibus etiam Christus pluribus solebat benefacere. Multo vero magis

debemus adlaborare ut unusquisque propriam animam vincam peccatorum laqueis, festis impis diebus, exsolvat. *Miserere animae tuae, ait Ecclesiasticus, c. XXX.*

III. *Habebat autem tunc vincitum insignem, latronem scilicet et homicidam, qui propter seditionem et homicidium missus erat in carcerem, et dicebatur Barabbas.* Ecce tibi comparem Christi, latronem scilicet insignem, quo inter vincitos peior nemo erat. Sed cur talis in sortem eligitur? Primo, quia sperabat Pilatus neminem fore tam audacem et impudentem, ut hunc dimitti vellet potius quam Jesum. Quis enim mallet latronem quam innocentem? Bene istud quidem Pilatus; sed dum Scyllam vitat, in Charybdin incidit. Quid enim tibi videtur, Pilate? Annon tu in Christum crudelis et iniquus es, qui comparas eum latroni et quidem tali? Demus enim Christum omnium suffragiis eligi ad vitam; an non tu ipsum jam civili vita mulctasti, dum infamia publica et indelebili notasti? Ita nimirum dum timide agit Pilatus et populo displicere metuit, impingit in justitiam et paulatim decedit. Primo enim, dum absolvere non audeat Christum, mittit ad Herodem et novo periculo committit. Secundo, hic publica infamia notat. Tertio, flagellat. Denique neci dat. Non itaque timide agendum, cum Dei lex in periculo versatur; neque latum quidem digitum ab ea recedendum.

Secundo, divina dispensatione factum est, ut insignis latro statueretur juxta Christum, quia representabat magnum quemdam latronem, omnium scelerum reum, filium scilicet Adami seu hominem peccatorem, qui homicida sui erat et seditionem in orbe fecerat. Qui in consilio divino statutus erat juxta Christum ut alteruter moreretur, hic quidem temporali, ille vero aeterna morte; vita unius mors erat alterius. Et exigebat quidem Pilatus, hoc est, justitia divina, ut Barabbas neceretur, homo inquam reus; sed obstabat misericordia petens ad mortem Filium Dei, ut viveret filius Adam. Erga Barabbas, id est, filius patris (scilicet Adae) vita donatur; Christus Filius Dei ad mortem petitur.

IV. *Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barabbam an Jesum qui dicitur Christus?* Vocat Jesum Christum primo, ut populum commonefaceret opinionis illius, quam hactenus de Jesu habuerat, quod videlicet Christus esset. Ergo hic illis d. g. ostendit et tacito suo suffragio commendat, quem debeant vitam donare. Secundo, ut ulcus tangat principum et seniorum, qui Christum ex invidia tantum tradiderant, quod scilicet inviderent ei titulum et

dignitatem regiam. Unde subdit Matthaeus: *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.*

V. *Sedente autem illo pro tribunali misit ad eum uxor ejus dicens: Nihil tibi et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Factum est hoc Deo disponente. Primo, propter Christum, ut ejus innocentia, dum inique condemnatur, plures et varios haberet testes nec quoscunque, sed a Deo ad veritatem contestandam motos. Ita nimirum nemo innocens adeo opprimitur, quin aliquos habeat innocentiae suae testes vel defensores. Secundo, propter Pilatum, ut hac speciali gratia (quam videtur ei largitus Deus in remunerationem, quod conatus sit eripere Christum ab impiorum manibus) confortaret animum Pilati vacillantem et timidum, ad justitiam propugnandam et manus suas innocias servandas. Solent autem uxorum preces monitaque multum valere apud maritos. Sed fortius impulit Eva virum suum in lapsum, quam servavit ista virum, ne laboretur; quia labi proclive, stare difficile est. Tertio, propter uxorem ipsius; ut hoc medio disponderetur ad fidem amplectendam, quae brevi erat vulganda. Eam porro conversam esse scribit Origenes: Proclen appellat Niceph. l. I, c. XXX. Quarto, propter Judaeos ut vel hoc nuntio respiscerent, certoque nossent, si mulier innocua passa sit visum, propter virum minus audacter et debite innocenti Christo suffragantem, multo magis se reos coram Deo fore, qui ad iniquum processum Pilatum impellere satagerent.

VI. *Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.* Ecce tibi serpentes illos, quibus non incantatio, basiliscos videlicet qui macula in capite velut diademate insigniti, etiam solo sibilo fugant serpentes alios et afflatu necant frutices, teste Plin. l. VIII, c. XXI. Tales erant principes sacerdotum et seniores diademate redimiti; et quia tales, principes inquam et seniores, nulla ratione poterant incantari ut sententiam mutarent. Ad haec nocentissimo et quasi innato invidiae veneno pleni erant. Denique hoc veneno infecerunt etiam plebem, et solo suo sibilo cedere sibi fecerunt populum universum. Sed qui fieri potuit, ut populus induceretur ab illis in tam turpem et manifestum errorem. Primo, quid non potest principum auctoritas, praesertim cum ad malum ducent? Et rursus, quando tanto cum furore agunt? Si Pilatus panico illorum furore correptus est, ut non auderent facere, quod volebant; quanto magis populus? Secundo, argumentum hoc erat, *Christum non esse de hoc mundo, si enim de mundo esset, mundus quod suum est,*

diligeret, nunc autem odio eum habet. Ac licet initio blandiatur quamdiu ei benefeceris, ad extremum tamen te deseret et expellet, quemadmodum Dalila Samsonem prius delinitum blanditiis, postea a se repulit et Philisthæis tradidit.

VII. Ait illis Pilatus: *Quem vultis de duobus dimitti? Exclamavit autem simul universa turba: Tolle hunc et dimitte nobis Barabbam. Ecce mundi stoliditatem; quis ei in posterum fidat, qui tam turpiter hic erravit? « O cæcitas Judæorum, (ait S. August. tr. XV. in Joan.) o furia phreneticorum, noli dimittere hunc, sed Barabbam! Quid fuit hoc aliud dicere, quam occidatur ille, qui suscitavit mortuos; et dimittatur latro, ut occidat vivos? » Verum si altius rem pensemus, minus forte mirabimur. Etenim Christi lancem in hac statera depressit magnus ille latro, Adam, cum omni sua sobole, ut supra diximus. Deinde similem vesaniam multoties nos committimus, quoties scilicet rem fluxam Deo relicto eligimus. Audi eum loquentem per Ezech. c. XIII. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis. Christus tanto nos emit, et nos eum tam vili vendimus? Audi rursus mirantem Jerem. II. *Obstupescite cæli super hoc, et porta ejus desolamini vehementer. Quamobrem me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas. Ergo si irascimur Judæis Barabbam eligentibus, cur non irascimur ipsi nobis?***

VIII. Dicit illis Pilatus: *Quid faciam igitur de Jesu, qui dicitur Christus? Ecce paratum se offert Pilatus ad dimittendum etiam alterum? Sed quid illi? Dicunt omnes: Crucifigatur. Rursus Pilatus: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifigatur. Quid audimus? Ubi sumus? Nonne isti paulo ante clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini? Et olim: Omnia bene fecit? Quis fidem in homine ponat quantumvis amicissimo? Facta est mihi hæreditas mea, ait Dominus per os Jerem. c. XII, quasi leo in silva; dedit contra me vocem, ideo odivi eam. Primo enim, velut leo sævissimus irrugit contra benefactorem, cui blandiri debebat. Deinde, suis rugitibus leonis instar terruit omnes, Pilatum et fautores Christi, ut non auderent contra mutire. Denique, quod jure nequeunt obtinere, vi et clamoribus quaerunt. *Crucifigatur, crucifigatur, quidquid tandem fecerit. Sic volumus, sic jubemus; sive Christus ille sit, sive non. Sic nimirum peccator, cum in profundum venerit, contemnit; quod a nobis averruncet Deus.**

§ XIX. — FLAGELLATIO CHRISTI.

I. Nudatur ad flagella Dominus. — II. Ligatur ad columnam. — III. Flagellatur.

THEMA.

Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. JOAN. XIX.

Mirum præliandi genus refert primus Macchabæorum, lib. c. VI. cum elephantibus. Cum enim adversus Judæos duceret rex Antiochus, usus est inter alia etiam robore elephantum triginta duo, quos ut acuerent in prælium milites Antiochi, ostenderunt eis sanguinem urvæ et mori; ita nimirum bestiae illæ solo aspectu liquoris, qui sanguinem refert, accenduntur ad fundendum aut profundendum sanguinem, ut scribit Vallesius, c. LXXXII, sacrae philosophiæ. Versamur etiam nos in prælio, auditores, non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes tenebrarum, uti apostolus scribit, et quidem vidimus hactenus fustes, lanceas, funes, catenas, sputa, etc. sed nondum vidimus sanguinem. Nunc ergo, auditores, ut acuamini in prælium, ostendam vobis sanguinem urvæ, de qua in cant. sponsa: *Botrus Cyprî dilectus meus mihi: Christum inquam flagellatum. Recogitate enim, ait apost. ad Hebr. XII. eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes: nondum enim usque ad sanguinem restitistis. Circa flagellationem Christi tria consideranda veniunt, denudatio, alligatio ad columnam, verberatio. Singula hæc suum tormentum habent. Denudatio pudorem, alligatio dolorem, flagellatio utrumque.*

I. Ergo nudatur ad flagella Dominus, quanta ignominia? Si enim nuditatem ipsam consideremus, verecundiam homini adducit ingenuo præsertim. Hinc Adam et Eva licet præter ipsos nemo adhuc in mundo foret, erubescere tamen ob suam nuditatem, et consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata, Gen. III. nec hoc contentus Adam, abscondit insuper se, cum vocem Dei audiret. Deinde persona quæ nudatur dignissima est. Ille nimirum qui cælum stellis, terram floribus, aves pinnis, pisces squamis, quadrupedia pilis vestit, quique virginum sanctarum, ut Agnetis et aliarum, pudicitiam miraculo sæpe texit. Denique ii, coram quibus nudatur, plurimi sunt, cohors videlicet integra; inimici et irrisores sunt, mancipia et creaturæ ipsius Christi sunt. Ex quibus tu colligito, quanta verecundia virginea Christi caro affecta sit; quam se Adam iste secundus libenter occultasset, si qua ratione potuisset. Sed quamobrem non ulciscitur? Cur fert

tantam ignominiam? Nonne Bethsamitæ olim morte puniti sunt, quod arcam curiosius inspexissent? I. Reg. VI. Veram igitur arcam nunc impune aspiciunt reprobi mortales? Ita enim Ps. XXI. inter alias injurias hanc etiam recenset: *Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me.*

At vero ignominiam istam vel ob id ipsum primo sustinere voluit, ut fœdam illam nuditatem, quam humano generi peccatum Adæ adduxit, puniret in seipso. Sic enim per peccatum nudatus est homo Dei gratia, et remansit fœdus atque abominabilis. Cæterum, quia Adam non tam ob hanc, quam nullam nuditatem erubuit ac doluit; ob pœnam non ob culpam; cum tamen longe magis culpa deflenda esset; idcirco præposterum hunc pudorem punit in se Christus. Et certe nos etiamnum Adamum nostrum sequimur: peccare non erubescimus, erubescimus confiteri et emendare vitam: vulneris non pudet, alligaturæ pudet.

Secundo, ut doceret nos veterem hominem, qualis per peccatum factus est, exuere et induere novum, qualis in paradiso ante peccatum fuit. Adam vestitus a Deo fuit in signum admissi peccati et in symbolum pœnitentiæ. Unde vestis nostra, stigma est peccati, perinde ut compedes et catenæ sunt symbola malefactorum. Stultus igitur homo superbit in vestitu, de quo erubescere deberet. In paradiso vestium usus non erat, quia nec erubescencia, quæ orta est post ex peccato. Voluit ergo Dominus reformare hominem ad pristinae innocentia statum. Hinc quadraginta illi milites ac martyres apud S. Basilium a præfecto nudati, et in gelidum stagnum coniecti, ut ibi frigore necarentur, hac voce se animabant: « Non amictum exuimus sed hominem veterem, concupiscentiæ deceptione corruptum. Gratias agimus tibi, Domine, quod cum isto amictu simul et peccatum exuere licet, quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christum exuimus. » Tum singulis singulæ de cælo allatæ per angelos sunt coronæ.

II. Ligatur ad columnam, juxta morem Romanorum. Ita S. Paulus flagellandus loris adstrictus fuit, Act. XXII. Quantum hoc dolere Christo debuit? Primo enim, adstrictio ista (quæ utique immittis et fortis fuit, ne verberantibus evadere Dominus posset) maximum affert dolorem, ut omnes vincti testantur. Deinde quia ligatur instar servi aut pecudis mactandæ. Dominus est rerum omnium, cujus manus illigatæ illimitatæ sunt ad quidvis faciendum, qui ligat aquas in nubibus, Job XXVI. qui in manu sua colligatum tenet orbem. Denique ligatur a servis et creaturis suis, manus illas ligant impij, a quibus ipsi creati

sunt; inauditum facinus! Sed quamobrem Domine ligari te permittis? Annon jure optimo poteris facere quod Samson, quando ligatus a suis tradendus erat Philisthæis? Rupit ille funes velut stuppam et arrepta asini mandibula percussit mille Philisthæos contra se irruentes, Judic. XV. Quanto majore potentia et æquiore jure poteris tu hoc facere?

Verum hoc pati voluit. Primo, ut absolveremur nos a vinculis peccatorum, quibus ligati eramus, velut victima ad macellum æternæ damnationis. Quemadmodum enim Samson ligari se passus est et fortia brachia sua in funes ultro inseruit, in gratiam populi sui, ut eorum paci et quieti consuleret, et malum, quod impendebat eis a Philisthæis, averteret; etiam Christus in gratiam omnium nostrum, ut averteret a nobis malum illud æternum, vinciri se permisit. Rursum uti voluit Joseph ligari unum ad tempus in carcerem e filiis Jacob patris sui, quo cæteri possent vivere et redire in patriam suam: (*Facite hoc et vivetis, inquit, frater vester unus ligetur in carcere: vos autem abite, etc.*) ligatusque est Simeon, Gen. XLII. ita voluit Deus ut pro nobis reis, æternum carcerem meritis, unus frater noster ligaretur ad tempus; quo nos liberi a peccatis, redire ad patriam nostram celestem possemus. Ergo peccata nostra, vincula nostra fuerunt, quæ ligaverunt Christum. Cæterum nisi accessisset amor, qui hæc vincula consolidaret, nequaquam potuissent Christum retinere.

Secundo, ut nos sibi vicissim alligaret, per fidem, amorem, patientiam, obedientiam. De hoc enim prophetavit Jacob, cum Judæ benedicens ait: *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem asinam suam: lavabit in vino stolam suam et in sanguine urvæ pallium suum, Gen. c. XLIX. Pullus est populus gentilis alligatus ad Ecclesiam opera apostolorum; asinus Judaicus alligatus Christo (prædicanti sibi in propria persona.) Lavit igitur Christus ligatus corpus suum in sanguine, ut nos alligatos sibi ablueret eodem. Quis non libenter alligari velit ad hanc vitem et columnam, Christum? Quis non redimat ipsum? Quis ei non obediat? Quis non libenter ferat omnia tormenta ob amorem ejus, qui tanta pro nobis pertulit? Ergo quisquis es, injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum, Eccl. VI*

III. Flagellatur. Dirum erat hoc supplicium, primo, quia servile; non enim nisi servi flagellabantur a Romanis. Secundo, acerba erat flagellatio, quod colligimus primo, ex Scripturis, Ps. LXXII ubi de eo dicitur: *Fui flagellatus tota die, id est, indesinenter et tam acriter ac si tota vapularem die. Et Ps. CXXVIII. Supra dorsum meum fabricaverunt*